Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

que per singulas quasque domos. in parietibus. in ingressibus. et postibus etiam ac fe
nestris erant. ita abscisa sunt omnia et abrasa. ut ne vestigium quidem usquam
vel nominis appellatio. aut ipsius aut cuiuslibet alterius demonis rema
neret. sed pro his crucis dominice signum. unusquisque in postibus. in ingressibus. in fe
nestris. in parietibus. columpnisque depingeret. Quod cum factum hi qui super fue
rant ex paganis viderent. in recordationem rei magne ex traditione
sibimet antiquitus commendate venisse perhibentur. Signum hoc nostrum dominice
crucis. inter illas quas dicunt hieraticas id est sacerdotales litteras. habere
egyptii dicuntur. velud unum ex ceteris litterarum que apud illos sunt elementis.
cuius littere seu vocabuli hanc esse asserunt. interpretationem vita ven
tura. Dicebant ergo hi. qui tunc admiratione rerum gestarum convertebantur
ad fidem. ita sibi ab antiquis traditum. quod hec que nunc coluntur tamdiu starent.
quamdiu viderent signum istud venisse. in quo esset vita. Unde accidit.
ut magis hi qui erant ex sacerdotibus vel ministris templorum ad fidem conu
terentur. quam illi quos errorum prestigie et deceptionum machine delec
Sane quoniam moris erat in egypto. Cap. XXX. tabant.
ut mensura ascendentis nili fluminis ad templum serapis defer
retur. velut ad incrementi aquarum et inundationis auctorem. sub
verso eius symulacro. ignique consumpto omnes simul negabant. serapin
iniurie memorem. aquas ultra et affluentiam solitam largiturum. Sed
ut ostenderet deus. non serapin qui multo erat nilo posterior. sed se esse qui aquas
fluminis temporibus suis iuberet excrescere. tanta ex eo et deinceps fuit
inundacio. quanta fuisse prius etas nulla meminerat. et ideo ulna ip
sa id est aque mensura quam pechin vocant. ad aquarum dominum in ecclesiam cepta
deferri. Sed ubi hec gesta religioso principi nunciata sunt. extentis ad
celum palmis. cum ingenti fertur exultatione dixisse. Gratias tibi christe.